Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Math

lactantium Et accesserunt ad eum cecci et claudi in templo et sanauit eos Videntes autem principes sacerdotum et scribe mirabilia quæ fecit et pueros clamantes in templo et dicentes Osanna filio dauid indignati sunt et dixerunt ei Audis quid isti dicunt Iesus autem dixit eis Utique Nunquam legistis Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam ibique mansit et docebat eos de regno dei Mane autem reuertens in ciuitatem esurijt. et videns fici arborem unam secus uiam venit ad eam. et nichil inuenit in ea nisi folia tantum Et ait illi Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum Et continuo arefecta est ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes Quomodo continuo aruit Respondens autem ihesus ait illis Amen dico uobis Si habueritis fidem et non hesitauerit non solum de ficulnea facietis sed et si monti huic dixeritis tollere et iacta te in mare ita fiet Et omnia quecumque petieritis in oratione credentes accipietis. Et cum venisset in templum accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi dicentes In qua potestate hæc facis et quis dedit tibi hanc potestatem Respondens autem ihesus dixit eis Interrogabo uos et ego unum sermonem quem si dixeritis mihi et ego dicam uobis in qua potestate hæc facio Baptismus johannis unde erat de celo an ex hominibus At illi cogitabant inter se dicentes. Si dixerimus de celo dicet nobis. Cur ergo non credidistis illi Si autem dixerimus ex hominibus timemus turbam Omnes enim habebant johannem qui prophetam Et respondentes ad jesum dixerunt Nescimus Et ait illis. Neque ego dico uobis in qua potestate hæc facio Quid autem uobis uidetur Homo quidam habebat duos filios Et accedens ad primum dixit fili uade hodie in uineam meam operare Ille autem respondens ait. nolo. postea autem pœnitentia motus uenit in uineam Accedens autem ad alterum dixit. Et ille respondens ait Eo domine et non iuit Quid ex duobus fecit uoluntatem patris Dicunt ei primus. Dicit eis ihesus Amen dico uobis. quia publicani et meretrices precedent uos in regno dei Venit enim ad uos johannes in uia iustitie et non credidistis ei publicani autem et meretrices crediderunt ei Vos autem uidentes non pœnitemini hui[illegible] postea ut crederetis ei Aliam parabolam audite Homo erat paterfamilias. qui plantauit uineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular et edificauit turrim

et locauit